

nigræ pelliculæ (ut superius dixi) sunt nigræ velæ, quibus Theseus revertebatur Athenas: quod Ægeus pater illius videns, ac putans Theseum esse mortuum, desperans projecit se in mare, in quo suffocatus est. Per Theseum ergo significatur sulfur illud subtile quod in ea pellicula latet, aut oleo per navem significato. Et tunc Ægeus, id est sulfur dictum Mars, qui est pater huius subtilis sulfuris projicitur in mare, id est in eam aquam salis, & hinc solvitur ac moritur, quia iterum fit nigrum. Scribunt etiam post diluvium & aquarum desiccationem, terram animalia producentem, quendam etiam serpentem produxisse Pythonem appellatum, quem Phœbus suis sagittis interfecit. In materiæ nostræ distillatione, primò lento igne diluvium venit, id est quædam aqueitas, de qua loquitur Geber lib. 2. cap. 2. & 7. & remota illa aqueitate, & aucto igne, terra, id est materia nostra, quæ multa terreitate participat, producit animalia, id est sulfur, illud subtile dictum sulfur & sulfura quia paulatim distillat, ut dicit Senior, & vocatur animal & animalia, quia ut scriptum est in Philosophorum Turba: Nostrum æs est ut homo qui habet animam, corpus, & spiritum, produxit etiam serpentem dictum Pythonem, id est aquam illam foetidam, quam phœbus, id est Sol noster interfecit, id est coagulavit & nigre fecit. Ferunt quoque Apollinem philecaptum Daphnes, eam fugientem secutum. Apollo est Sol noster, qui in  
distil-